



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

steria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia ab Anno in Annum per Azima, hoc est, non fermentatos panes, & alteram Mysterii partem, per aquam solum, licet enim esset hæresis alteram Mysterii partem facere per aquam solum, non potest vocari hæresis consecrare in Azimo; ergo quod faciebant ad imitationem Sanctissimi, erat consecrare in Azimo; ac proinde Sanctissimi, id est, Catholici, tum Græci, tum Latini eo tempore utebantur Azimis. Erat tamen hæresis dicere, adesse obligationem servandi legalia, eaque de causa panem fermentatum non esse materiam Eucharistiæ sufficientem; exinde apparet non esse auctoritate destitutam Historiam à D. Thoma relatum.

23. Fit 3. Panem, sive Azimum, sive fermentatum esse materiam certò sufficientem, & utrumque ritum, nimirum, & Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ, esse rationabilem. Imò in suis Ecclesiis tenentur Græci, consecrare in fermentato, & Latini Sacerdotes in Azimo, ut colligitur ex Leone IX. Epist. 1. contra errores Michaëlis Constantinopolitani, & expressè definit Flor. fess. ult. per hæc verba: *definitur, in Azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Corpus Domini conficere debere, unumquodque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

24. Uterque quippe ritus iste suam præferat causam rationabilem, ex ritu enim Ecclesiæ Latinæ impugnatur error Michaëlis Constantinopolitani, qui dicebat Azimum panem non esse sufficientem materiam. Exinde inferit Vasq. disp. 175. cap. 3. quem plures sequuntur, Sacerdotes peregrinos teneri sequi ritum suæ Ecclesiæ. Quando verò Sacerdos Græcus figeret domicilium apud Latinos, teneri se conformare ritui Latino, & quando Sacerdos Latinus figeret domicilium apud Græcos, teneri se conformare ritui Græco. Ex ritu enim Ecclesiæ Græcæ impugnatur error communiter attributus Armenis, qui dicebant, panem fermentatum non esse sufficientem materiam, licet enim Christus in Azimo consecraverit, instituit pro materia hujus Sacramenti panem verum triticeum, ac proinde tam Azimum, quam fermentatum; sicut quamvis consecraverit in vino albo, vel rubro, non instituit pro materia solum album, aut solum rubrum, sed vinum verum de vite, tam album quam rubrum. Ex his, neque ut detur viaticum moribundo, poterit Sacerdos Latinus deficiente Azimo in fermentato consecrare. Ratio est, quia licet illud præceptum sit Divinum, est tamen affirmativum, ac proinde non obligat pro semper, sed pro debitis circumstantiis: sic non obligat, quando non dantur Sacra vestes ad celebrandum, etsi istæ ex præcepto Ecclesiastico requirantur.

* * *

25. **O**bjicies 1. Contra 2. assert. Christus celebravit cœnam ex Joannis 13. ante diem Festum Paschæ; ergo celebravit illam die 13. ac proinde consecravit in fermentato. Confirmatur 1. ex eodem Joanne cap. 18. dicente, quòd in die Passionis Domini Judæi non introjerant in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha; ergo eo die debebant ad vesperam Judæi celebrare Pascha, & comedere agnum, ac proinde Christus celebravit Pascha pridie, quam à Judæis celebraretur. Confirmatur 2. ex eodem Joanne cap. 19. Christus dicitur mortuus in Parasceve Paschæ; sed ibi Parasceve Paschæ est pridie ad celebrationem Paschæ, quia eo die præparabantur necessaria ad Pascha; ergo &c. Resp. N. consequentiam, quia Joannes loquitur de die artificiali contraposta nocti, quando jam erat festum, & prohibitio ab opere mechanico, Christus autem consecravit in die Azimorum in nocte 1. vesperæ, ut constat ex eodem Joanne eodem cap. de Juda dicente: cum ergo accepisset ille Buccellam, exivit continuò, erat autem nox. Quapropter non dixit simpliciter ante Festum, sed ante diem Festum, sive ante solis ortum, ut bene notavit S. Thomas in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad primum, quæ etiam est expositio Catechismi Tridentini tit. de Eucharistia.

26. Ad primam Confirmationem con. antec. & N. consequentiam, quia per *ly Pascha* intelliguntur omnes Cibi, qui in memoriam transitus offerebantur, & comedebantur in diebus Paschalibus, sive essent panes Azimi, sive oves, aut boves, &c. ut constat ex num. 5. ideòque Pascha, sive Phase vocabantur, ut dicitur Deuter. 16. immolabisque Phase Domino DEO tuo de ovibus, & de bobus: cum autem ista non possent comedi ab immundis, volebant Judæi ingredi prætorium, ne contaminarentur. Ad 2. Confirmationem con. maj. & N. min. quia ibi per Parasceve intelligitur dies Veneris Paschalis, in qua mortuus fuit Christus; apud Judæos enim quæcunque dies Veneris vocabatur Parasceve: quia in ea præparabantur necessaria ad diem Sabbati sequentem, in qua non licebat eis quidquam operari, neque adhuc præparare cibos: sic Marcus cap. 15. de hac ipsa die loquens ait: erat Parasceve, quod est ante Sabbatum; & Joannes cap. 19. Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remaneret in Cruce Corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) ex quibus pater Parasceve non quidem fuisse ad Pascham agni, sed ad Sabbatum; illud autem cum esset Sabbatum Paschale Azimorum, ex utroque titulo non modo Sabbatum, sed Sabbatum

tum magnum appellabatur, ut D. Thomas supra cit. ad 5. ait: quacunque die de septem diebus Azimorum Sabbatum venire, dicebatur magnus dies Sabbati propter geminam solennitatem, scilicet Sabbati, & Paschæ.

27. Objicies 2. Figuratum debet correspondere Figuræ: atqui agnus paschalis erat Figura Christi in cruce immolandi: ergo sicut agnus paschalis immolatus fuit die 14. etiam immolatus fuit Christus in cruce die 14. ac proinde cum celebrassent cenam pridie, quam pateretur, celebravit illam die 13. Resp. dist. maj. debet correspondere in omnibus, N. in eo, in quo est figurati, con. maj. & con. min. N. consequentia, quia Christus eatenus erat Figur. in agno Paschali, quatenus agnus typicus occidebatur, & Christus etiam occidendus erat, non erat autem figuratus, ut occideretur eodem die, quo occidebatur agnus, ut ex supra citatis Script. manifestè constat. Imò & Adversarii velint, nolint, tenentur id verum esse fateri, cum Christus non fuerit occisus eadem hora, qua occidebatur agnus.

28. Objicies 3. Christus celebravit pascha tempore præscripto à lege, sed juxta præscriptum legis debebat celebrari ante 1. diem Azimorum; ergo quando dicit Matth. cap. 26. 1. die Azimorum, debet intelligendi pridie Azimorum. Confirmatur 1. quando Christus cenavit cum discipulis, ut constat ex eodem Matth. discumbat cum 12, atqui agnus paschalis juxta legem debebat comedi à stantibus, non autem à discumbentibus; ergo Christus ea nocte non celebravit pascha agni. Confirmatur 2. juxta legem agnus debebat in domum adduci decimo die mensis; sed ante diem 14. non attulerat Dominus agnum, cum in ipsa die 14. adhuc non haberet locum paratum; ergo &c. Resp. con. maj. dist. min. ante 1. diem Azimorum legalem, nego; naturalem sive artificialem con. min. & nego consequentiam, ut constat ex dictis à num. 4. quod rursus manifestè patet ex eo, quòd si tempus celebrandi Pascha jam pertransisset, interrogati discipulorum, & responsio Christi fuissent prorsus ineptæ.

29. Ad 1. Conf. dist. maj. discumbat in cœna agni, nego; in cœna ordinaria facta post cenam agni, de qua loquitur Evangelista, con. maj. & con. min. nego consequentiam, quia Christus & Apostoli postquam comederunt agnum paschalem stantes, discubuerunt postea ad cenam ordinariam. Imò ut interpretantur aliqui, discumbere, significat etiam accedere ad mensam, sive stando, sive sedendo, & in hac significatione dici potest, Christum & ad cenam agni, & ad cenam ordinariam discubuisse. Ad 2. Conf. dist. maj. debebat adduci in domum ab omnibus, N. ab illis, qui habebant domum, con. maj. & con. min. nego consequentiam; lex non ita dicebat: *De cima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* Christus autem domum non habebat, omnia enim reliquerat, ut ipse fateretur Luca 9. dixit illi Jesus, *foveas vulpes habent, & volucres cœli nidos,*

filii autem hominis non habent, ubi caput reclinent. Hierosolymitani pro istis, & pro hostibus ex universa Judæa advenientibus ad celebrandum pascha, parabant cubacula, agnos & omnia necessaria, eaque illis præbebant, vel gratis, vel accepto pretio.

Objicies 4. Contra 3. assert. ea vespera Judæi celebrabant pascha, quæ pertinebat ad diem 1. sed ad diem 14. tantum pertinebat 1. vespera, non autem 2. quæ jam erat diei 15. ergo Christus celebravit pascha in 1. vespera diei 14. & non in 2. Resp. con. maj. & nego min. 2. enim vespera diei 14. pertinebat ad diem 14. licet sit etiam 1. vespera diei 15. hinc modo in Ecclesia, quo ad officium 2. vespera hujus diei pertinet ad hunc diem, & ad eum tenetur Sacerdos, ut hodiernum penum persolvat, licet sit 1. vespera diei sequentis. Imò pascha agni non obligabat, ut abstinere ab opere servili: sicut obligabat 1. dies Azimorum: ac proinde 2. vespera diei 15. in qua incipiebat ejus solemnitas, ex lege Levitici citata num. 4.

Objicies 5. eò tempore immolabant Judæi agnum, quo in Egressu de Ægypto 1. illum immolaverunt; sed in egressu de Ægypto immolaverunt illum in 1. vespera diei 14. ergo Probatur min. non potuerunt Judæi immolare agnum in illa nocte, quia egressi sunt de Ægypto, sed ad Summitum in nocte præcedente: qui egressi sunt de Ægypto 2. nocte diei 14. quæ erat 1. nox diei 15. ut colligitur ex 12. Exodi & ex 33. numeror. ubi dicitur de Judæis: profecti sunt de Ramesse mense 1. 15. die mensis 1. ergo &c. Probatur maj. nocte illa, qua in Ægypto 1. immolaverunt agnum, usque ad ortum diei nullus poterat exire domo suam illud Moyse Exodi 12. nullus vestrum egredietur ostium Domus suæ usque mane; ergo &c.

Confirmatur 1. post esum agni Judæi poterant ab Ægyptiis plura vasa aurea & argentea, multamque suppellectilem; Sed hæc omnia non potuerunt fieri eadem nocte; ergo &c. Confirmatur 2. Exodi 12. dicuntur exiisse de Ægypto ferè 600000. peditum virorum absque puerulis & feminis; atqui ad congregandum hanc multitudinem per diversas Ægypti Urbes dispersam necessarius fuit saltem dies; ergo &c. Confirmatur 3. die 15. quæ erat altera dies Phasæ seu agni paschalis, est, quæ Hebræi ex Ægypto exiisse dicuntur Numeror. 33. ergo non in eadem nocte.

Resp. nego min. ad prob. dist. antec. nullus poterat exire ante Ægyptiorum interitum, vel post illum ante ortum solis, sine gravi causa con. post interitum Ægyptiorum urgente gravi causa, nego antec. & consequentiam. Moyse enim ipse & Aaron eadem ipsa nocte post Ægyptiorum interitum vocati à Pharaone, adierunt ad ipsum, ut constat ex ipso textu de ea nocte ita dicente: *vocatisque Pharaon, Moyse & Aaton nocte ait, surgite & egredimini.* Quæ ex eodem Pharaonis imperio, urgentibus

etiam Aegyptiis, & potuerunt exire Hebraei, & Moyses imperare, quod exirent, uti fecere. Ad 1. Conf. con. maj. & nego min. Judaei enim jam jam egressuri vasa illa argentea & aurea postularunt & Aegypti pro nimio desiderio, quo optabant, ut discederent, statim concesserunt. Unde propter nimiam Festinationem, qua cogebantur egredi, non potuerunt fermentare, quod clare demonstrat, eadem nocte fuisse egressos, & constat ex 12. Exodi.

34. Ad 2. Conf. con. maj. & nego min. quia ante Aegyptiorum interitum praeconuerat Moyses Hebraeos, ut essent parati ad egressum & per Sodalitia distributos in uno loco sive in una regione continebat, sicque ea nocte ante Solis ortum potuerunt discedere. Sic narrat Josephus lib. 2. Antiquitatum cap. 5. per haec verba: Moyses per Hebraeos prius instructos ad profectio- nem, & per Sodalitia distributos, in uno loco continebat. Unde ea ipsa nocte inceperunt Hebraeorum egressus, ut ex citato Exodi loco constat, & discedentibus aggregabantur in via illi, qui ex praecepto Moysis in Sodalitiis suis deventi expectabant; alii vero ibant ad civitatem à Moysè designatam, ex qua omnes ordinatè debebant discedere. Quare distinguen- da est duplex egressio, altera, quando de terra Gessè & singulis civitatibus atque oppidis ejus coacti sunt exire, & haec facta fuit ea nocte ante solis ortum diei 15. altera, quando jam in urbe aliqua congregati, omnes simul ordinatè progressi sunt, & haec contigit vespere ad Solis occasum in fine diei 15. Aegyptiis semper urgentibus, & ad hanc plenam congregationem necessarius fuit dies.

35. Sic bene consonant & citatum Caput Exodi, in quo dicitur egressos fuisse nocte, & caput 33. Num: in quo indicatur exiisse die 15. ante noctem, quando Aegyptii eos discedentes videbant, utrumque autem habetur distinctè cap. 16. Deuteronomio. dicitur enim versiculo 1. observa mensam novarum frugum, & verni 1. temporis, ut facias Phasè Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte; & versic. 6. immolabis Phasè vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Aegypto. Hinc ad 3. Conf. dist. consequens, non in eadem nocte, si sermo sit de 1. egressu, nego; de 2. con. consequentiam, ut constat ex dictis.

36. Obijcies 6. Contra 4. assertio: si Christus & Judaei celebrarunt Pascha ad vespeream 14. cum Christus fuerit occisus die sequenti, fuit occisus die Azimorum, sive in die Festo Paschae: Sed hoc non est credibile; ergo &c. Probatum min. ut ex Matth. 26. & Marci 14. constat, Judaei agentes de morte Christo inferenda dicebant: non in die Festo, ne forte tumultus fieret in populo; ergo &c. Confirmatur 1. Judaeis non licebat in die Festo litigare, acculare & jus dicere; ergo in die Festo non rapuerunt Christum ad mortem, sed ante diem Festum à Judaeis translatum. Confirmatur 2. diebus Fe-

stis non licebat mortuos curare & sepelire; ergo non potuissent Joseph in die Festo Paschae Christum de cruce deponere, curare & sepelire. Probatum antec. mulieres non ausae sunt portare aromata & corpus Christi ungere die Sabbathi; ergo &c. Confirmatur 3. dies ille Sabbathi erat magnus, ut constat ex Joanne cir. num. 26. atqui designatus non fuisset illo nomine, si Judaei non transtulissent Pascha in illud Sabbathum; ergo &c.

Resp. con. maj. & N. min. ad prob. con. antec. & nego consequentiam: quia licet prius timuerit populi tumultum, postmodum quando Judas spondit, se noctu & sine tumultu traditurum Christum, timore seposito consilium mutarunt, & ex ea occasione Christum nocte prenderunt. Die autem sequenti decipientes populum, & excitato contra Dominum tumultu, extorserunt à Pilato, ut Christum crucifigeret. Ad 1. Conf. nego anteced. nam ut ait Abulensis, nullibi exprimitur in Script. quod prohibita fuerint actiones forenses in 1. die Azimorum. Verum permissio antecedente Resp. 2. nego consequentiam, quia ex odio in Christum Dominum, facile Judaei contra conscientiam suam inceptabantur & transgrediebantur legem. Sic in die Sabbathi fecerunt quaedam, quae ipsis non licebant, nimirum accepta custodia à Pilato accesserunt ad sepulchrum, & positis custodibus lapidem Sigillo munierunt.

Ad 2. Confirmationem nego anteced. ad prob. con. antec. & nego consequentiam: Judaeis enim prohibitum non erat diebus Festis mortuos sepelire, & alia opera misericordiae exercere, ut ex pluribus locis Evangelii colligitur, praecipue Matth. 12. quando Christus in Sabbato curavit hominem habentem manum aridam; imò & ex testamento veteri Tobiae 2. ubi narratur, quod cum esset dies Festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiae, eique nunciarum esset, quendam Judaeum jugulatum jacere in platea, Tobias relinquens prandium egressus est, & cadaver defuncti detulit in domum suam, ut illud nocte sepeliret. At in die Sabbathi non licebant Judaeis plura, quae in aliis Festis licebant: sic non poterant praeparare cibos, quos parare poterant aliis Festis diebus, ideoque nec mulieres ausae sunt ea die Sabbathi ungere corpus Christi; neque reputari potest adeo necessarium, ungere corpus sepulchrum, quod in sequentem diem facile differri potest, quam in sepulchrum sepelire, quod adeo facile sit, in sepulchrum decineri. Ad 3. confirmationem con. maj. & nego min. quae falsa est, ut satis constat ex

ii. 26.
